

parte Vancun²⁷⁵ et carbones subter; a parte occidentis inter Cumbethfor et casale dictum *Beleguinos*, quod habitant villani de *Arenc* et est Sancte Marie de *Turri*, sunt mete petrarum fixe et subter carbones; de hinc extenditur usque ad columpnam marmoream. A parte septemtrionis, versus *Casseriam* sunt mete fixe et subter carbones et vadit usque ad turonum. A meridie, extenditur usque ad metas de *Bagnigun*, ubi crux est posita et usque ad rocham et infra sunt petre fixe et carbones subter. A parte *Abraainain* et Casserie sunt petre fixe et carbones subter; et in medio petrarum fixarum est crux de petra.

Item aliud casale nomine *Ayun* cum pertinenciis et divisionibus ipsius signatis. A parte *Calasie*, est crux de petra et carbones subter supra viam que ducit ad Vancun. A parte orientis, extenditur ad Pertusum vulpis, et est ibi crux de petra; de hinc extenditur usque ad ovile et in medio sunt mete de petra quinque et carbones subter. A parte Vanguin, usque ad aliam crucem de petra que fixa est juxta gasthanam supra viam, et in capite vie est alia petra et via ibi dividitur.

His ita assignatis, item dono et concedo amodo in perpetuum eisdem fratribus plenam libertatem per terram, per mare, per totum regnum meum et per totam terram omnium mihi subjacencium et obediencium, in civitatibus, in castellis, in villis, in casalibus, in montibus, in planis, in portibus, vendendi et emendi ad opus domus sue omnia victualia et queque sibi necessaria, et eciam equitaturas libere, quiete, pacifice sine contradictione, sine omni drictura, sine contrarietate et sine exactione aliqua. Predicta vero omnia, castellum et casalia cum terris et pertinenciis et divisionibus signatis, cum aquis et molendinis et cum omni jure eisdem pertinenti, dono predictis fratribus sancte domus Hospitalis Theutonicorum, libere, quiete, pacifice amodo in perpetuum, sine calumpnia et sine contradictione aliqua omnium hominum mortalium qui sunt et erunt sub potestate et dominio meo. Iusuper precipio omnibus hominibus meis, qui sunt et qui erunt, ne de cetero habeant potestatem vel ausum super hec omnia, que caritative ac hereditario jure ad possidendum, dono predictis fratribus, sicut continetur in presenti pagina, nec possunt aliquot servicium seu tributum, seu angariam, seu exactionem aliqua, ab ipsis fratribus modo quolibet

²⁷⁵ En arménien Վանք, couvent. Il s'agit peut-être ici de Vaner, Վանքեր, le *Vanerium* des chartes. Le château de Vaner et ses dépendances faisaient partie du territoire de Melon.